SKIOGRAPHIA DE JURE ADCRESCENDI PARTIS SECUNDAE QUAESTIONUM MAXIMÈ...

Digitized by Google

Proscenium.

Conſtitueram equidem, quod & certè adhuc malim, *partis* meæ *ſecundæ*, quam nunc ex Promotionis noſtræ lapſu in annum ſextum uſq; debeo, tractationem ipſam de *Jure Adcreſcendi* elaboratam, & quantum vires & negocia paſſa ſunt, conſummatam edere, Verùm, tùm quod præter ſpem expolienti mihi illa nimiùm excreſcere cœperit, tùm quòd excudendorum multitudine typographus maximè ob inſtantem mercatum Lipſicum moram, quam multis ex cauſis longiorem meritò eſſe nolui, nexurus mihi videretur, ſi eam mox lucem viſuram atteſtarer, delineationemq; èjuſce, qualis quantaq; ſufficere poſſet ad diſquiſitionem publicam, interim proponerem, putavi, mihi facilè à quovis, qui modò ſit æquus, condonatum iri.

Brevi ergò proditurae portionis alterius de J. A, capita controverſa ſunt.

1. Si ſervo communi legatus ſit uſufructus, an domini intelligantur conjuncti, & jure adcreſcendi frui? Negant plærique neoterici Duar. Vaſq. Donell. Jo. del Caſtill. Cretſchmer; Papilloni, Juſtus Mejer. Adfirmamus cum Ulpiano.

2. Pater & filius in poteſtate conſtitutus in Uſufructu num ſint conjuncti, ut jure adcreſcendi ad filium patre mortuo pertineat? uti velle Henric. à Suerin videtur.

3. Portio an portioni an perſonæ adcreſcat? Alii ad perſonâ potiùs, alii ad portionem jus illud magis referunt; Alii regulariter portioni adcreſcere contendunt, etiam in uſufructu; niſi eo excepto caſu, quo amiſſus eſſet uſusfructus, pro ſe trahentes Ulpianum. Nos, cum communi, attentô inter proprietatem & uſufructum diſcrimine, in illâ portioni, in hâc perſonæ ſimpliciter adcedere, ſtatuimus ex eodem Ulpiano, in quo nulla prorſus difficultas eſt, quod alii quidem ſomniarunt.

4. In omnibus conjunctis an ſit ſolidum, ſint & partes ab initiô? Vulgus diſtinguit; Inter conjunctos verbis, partes non ſolidum; intermixtos, ſecundum alios, partes, ſecundum alios, ſolidum; & inter re conjunctos, ſolidum nullas partes eſſe volunt. Nos cum Mantic. & Bachov. in ſingulis ſolidum in ſingulis partes requirimus.

5. Qui ſint qui partem fecerint & faciant ex jure veteri, cùm certò ſciri nequeat; Alii ad diſſidium Legatorum jure priſtinô cognitum confugiunt, Hotom. Cujac. Giphan. Alii ex diſcrimine, quæ pro non ſcriptis, quaſi Caducor. vel verè, rem decidi poſſe putant Bachov. & Cretſchmer. Sed neutrô modô ſolô res componi firmiter poteſt. Aliquomodò verè utroque conflato; quamvis Zaſius de conciliatione fermè deſperaverit.

6. An verè vacans ſit pars ejus, cui objici poteſt triginta annorum præſcriptio? Quamvis plæriq; cum communi, *de Extraneo* hærede concedant, nonnullis & hoc negantibus; tamen *in ſuo* Jaſon. & Duarenus conſtanter refragantur; Quorum fundamentis nihil moti parem extranei & ſui rationem eſſe cenſemus, cum Accurſ. Jo. Fabr. Bolognett. Vaſq. Hartm. Piſtor. Hotoman. Gothofr. &c.

7. Subſtitutio an partem vacare impediat? vel, an ſubſtitutio ſuperet jus adcreſcendi? Quidquid alii indiſtinctè pro

 negan-

negante, proq; affirmante adferant; cum communi, ſeparatim cuiquam deficienti ſubſtitutum conjuncto præferimus; ſi non ſeparatim eidem ſit ſubſtitutus, eum à conjuncto ſuperari dicimus. Bart. M. Ant. Peregrin. Lancell. Polyt. Jo. Crot. Gomez. Zaſ. Angel. Matthæac. Dauth. Vaſq. Mantic. Cretſchmer.

8. An, quod in tacitâ non revocant in dubium, idem in invalidâ ſubſtitutione? Idem quod in præcedenti controverſiâ probant Graſs. Mantic. Cretschmer. Improbant rectè Duaren. Vaſq. Bolognett. Dauth. Papillon. &, qui ita judicatum eſſe refert, M. Ant. Peregrin.

9. An omninò vacet pars, ſi prohibitum ſit jus adcreſcendi? Nonnulli vacare ſcribunt, cùm prohiberi jus adcreſcendi nequeat. Alii contrarium, cùm poſſit prohiberi. Politiores poſteriorem ſententiam in Legatis, fideicommiſſis univerſalibus & particularibus probant, in hæreditatibus tum, ſi conjunctio ſubſit hominis, ſi legis, non; quibus ſubſcribimus.

10. Transmiſſio an impediat partis vacantiam, vel ut clariùs concipiamus; An transmiſſarius potior ſit conjunctô? Nonnulli in transmiſſione ex jure Suitatis negant Jaſon, Graſſus, Bartolus, Vaſquius, Guilh. Benedictus. Alii idem faciunt in transmiſſario ex jure deliberandi, Duaren. Nos ſive jure Suitatis, ſive ſanguinis, ſive deliberandi transmiſſarios conjunctis præponimus, non ex Angeli Matthæc. Bolognetti, Cretſchm. ſed aliis firmiſſimis rationibus.

11. An ipsô jure, an ope exceptionis vacare partem ſufficiat, ut poſſit adcreſcere? Prius defendunt Bart. Dec. Sim. de Prætis, Guilh. Benedict. Vaſq. Petr. Gregor. Ant. Fabr. Poſterius verius, poſt Duaren. Papillon. Panc. Cretschmer, nobis videtur ex immotis fundamentis.

12. An ipsô jure portio adcreſcat in omnibus tàm hæreditatibus, quàm legatis, etiam ubi volentibus adceſſionem tribuunt Dd? ita ajunt.

13. An pro parte proportionali, an pro virili adcreſcat defecta pars? Illud in hæreditate, hoc in legatis maximè noviore jure defenſant nonnulli, Donell. & Dn. Hilliger noſter, beatæ memoriæ; par jus hæreditatis & Legatorum nos cum Bartolo, Crota, Graſs. & aliis oſtendemus.

An

14. An cum onere, an ſine onere adcedat, portio deficiens pro non ſcripta? In legatis & hæreditatibus diſtinguunt, Graß. & alii Dd. Verius eſt, regulariter adcreſcere ſine onere abſq; diſtinctione allatâ; Lancell. Polyt. & Bolognet.

15. An invitis, an volentibus adcreſcat? In hæreditate non dubitant invitis adcreſcere, in Legatis disjunctim relictis idem; ſed volentibus duntaxat in conjunctim relictis. Bart. Lancell. Polyt. Bolognett. Crotus, Guilh. Benedict. Fumæ; Papillonius Graß. Ant. Faber, Donell. Cretſchmer. Bachov. & omnes. Sed miſerè hi ſeducti fuerunt ex alienâ Juſtinianeæ Conſtitutionis interpretatione. In conjunctis ergò etiam idem eſſe, ut invitis adcreſcat, dilucidè probabimus.

16. An evacuatâ parte conjuncti, etiam hæres extraneus portionem ſuam jam poſt agnitionem alterius quæſitam repudiare poſſit? Suo tantùm concedunt Donell. Duaren. Cretſchmer. Extraneo id juris non invidemus, cum Vaſq. Gometz. Jo. Crot. Ann. Robert. Papillon.

17. Alii & Dd. veteres plæriq; non ad ſucceſſiones tantùm, ſed & ad alios modos adquirendi jus adcreſcendi pertinere ſcripſerunt; nos ſolam ſucceſſionem, quæ ita in ſpecie dicitur, & quæ fit mortuis, habile ſubjectum illius cenſemus, Romul. cum Stuck.

18. Non itaq; in hæreditatibus tantùm teſtamentariis, & ab inteſtato locum habet, civilibus ſucceſſionibus, ſed & in bonorum poſſeſſione, ſi non ob expreſſam ſaltem ob præſumtam voluntatem defuncti, & conjunctionem legalem Dd. communiter. Diß. Jo. del Caſtil.

19. In Fideicommißis univerſalibus, quærunt; Alii directo hæredi deferunt partem vacantem, Pract. Papienſ. Govean. Alii contra indiſtinctè fideicommiſſario; Graß. Mant. Vaſq. Cæteri diſtinguunt, ſi conjuncti cum fideicommiſſario pars deficiat, ad eum; Si disjuncti verò omninò ſit portio defecta, ad hæredem devolvi ſcribunt. A. Ant. Peregrin. cum quo tranſit A. Fab.

20. In fideicommiſſis particularibus, & ſingularibus diverſum ſtatuit Ant. Fab. nos cum communi Dd. calculo idem, & jus vetus circa differentiam tum Legatorum invicem, tum Legatorum & fideicommiſſorum prorſus ſublatam eſſe defendimus.

21. In mortis cauſa donationibus indubii fuerunt hactenus per Juſtinianum interpp., eſſe ibi jus adcreſcendi. Novius A. Fab. vacillare id facere voluit; quid ejus argumenta valeant, diſpectu- ri ſumus pro communi.

22. An in mortis cauſâ capionibus? ita Bolognett. & Dd. commun.

23. An idem in Legatis taxatis & ſummis? Admittit Mantic. Rejicit Graß. & Pan. Cretſchmer.

24. An in alimentis & cauſâ non iterabili? Unanimiter adſtruunt Graß. Mantic. Peregr. Papillon. Cretſchmer.

25. An in legitimâ? Negaverunt Bald. Salic. Adfirmarunt, quod probarunt Dd. communiter, Gandunt. Govean. Baro, Hottom. Graß. Diſtinguit Didac. de Spin. an juſtè an injuſtè fuerit exhæredatus. Quid hæc poſſit diſtinctio, diſcutiemus.

26. An verò legitimæ adcreſcat reliqua vacua hæreditas? Multis laborant alii; nos volenti adcreſcere, ſicuti & Patrono in ſuâ portione, dicimus.

27. An autem in re certâ inſtitutus habeat beneficium adcretionis? Indiſtinctè adſtruit Clarus, Guilh. Benedict. Caſtr. Bartol. Graß. Negat Ant. Fab. Papill. niſi ſolus in re certâ inſtitutus ſit? contra hos pro communi ſtabimus.

28. Si ſolus in re certâ ita inſtitutus prohibitus ſit jure adcreſcendi; alii ad cauſſam inteſtati rem recidere volunt, alii jure adcreſcendi nihilominùs ad hæredem ſcriptum pertinere vacantem hæreditatem volunt. Nos inter teſtantem, i.e. teſtatum decedere volentem, & inter Codicillantem, ſequuti Bolognett. diſtinguemus.

29. Fruſtra igitur quærunt; An in Contractibus, emtione, donatione inter vivos & cæteris modis adquirendæ vel obligationis vel dominii inter vivos ſit jus adcreſcendi? tametſi alii ſimpliciter id adfirmarint, alii aliter, ut fuſiùs dicemus.

30. An autem ea ſit ratio in hiſce quòd non adcreſcat, quia dominium non vacat, ſicuti in legatis, quam ſolam agnoſcit Vaſq. neſcio, imò nego.

31. An verò ſaltem in donatione à Principe duobus facta attendi debet jus adcreſcendi? Quod communiſſimè defenderunt interpretes, Bolognett. Graß. Papillon. Gomez. quos rectiſſimè notavit hôc erroris nomine Pancr. Cretſchmer.

32. Cir-

32. Circa res ipſas controvertunt; Alii ad res dividuas tantùm referunt habilitatem adcreſcendi, Giphan. Fumæ; alii etiam ad individuas, Bolognett. Guilh. Bened. & alii, quô modo utrumque ſubſiſtat, aperiemus.

33. Cæterum ex antè adductis illicò adparet, non niſi præpoſterè quæri. I. An in uſufructu ſit jus adcreſcendi? Quamvis n. ſint nonnulli, qui dicant in uſufructu etiam inter vivos conſtitutô hoc obtinere; tamen illi rectiſſimè erroris convincuntur ab Henr. Suerin. & aliis.

34. II. An in Emphyteuſi? Quomodo alii operosè diſtinguant, Graſſus connotavit, quomodo alii juri Emphyteuſeos omne jus adcreſcegdi eripiant, patet ex Clar. Nic. Vigil.

35. III. An in Feudis? Plæriq; non diſtinguunt inter conſtitutionem feudi inter vivos & adquiſitionem poſt mortem. Graſs. & alii, qui in maximum propterea errorem labuntur; Alii propiùs adcedentes diſtinguunt inter feudum novum & paternum, ſucceſſione deferendum, Bart. Petr. Coſtal. quorum hoc jure adcreſcendi deferatur vaſallis; & ita communiter ſentiunt Dd. Gothofr. Ant. & alii; Sed & in his ſciendum, licet per ſucceſſionem deferatur tàm Emphyteuſis quàm Feudum vel ab inteſtato, vel etjam ex teſtamento reſpectivè, ut ita ratione illius ſucceſſionis attendi dicatur jus adcreſcendi; tamen ſi accuratiùs inſpicere velis, & hoc habere illós Emphyteuticarios & vaſallos non tàm ex jure adcreſcendi ex ſucceſſione, quàm ex tenore & vi ipſius inveſtientis ex primâ inveſtiturâ prætendere poteras; Verùm à Succeſſionibus illis non dimoveri jus adcreſcendi patiemur.

36. Controvertunt anxiè; An in Emtorem, donatarium, & quemvis alium ſingularem ſucceſſorem ſive hæreditatis ſive legati tranſeat jus adcreſcendi? Tranſire, alii indiſtinctè concedunt; alii contra indiſtinctè negant; Alii diſtinguunt inter hæreditatem & legata; Alii nullum diſcrimen admittunt. Alii dicunt, ſi ſit hæreditas & legatum abſq; mentione partis venditum donatum, ceſſum, vel etiam ſi de jure adcreſcendi pactio intervenerit, tum partem adcreſcentem pervenire ad ſingularem ſucceſſorem, verùm non jure adcreſcendi, ſed actione perſonali ex emtô, donatô, ceſſô. In cæteris verò caſibus apud hæredem & legatarium jure

ad-

adcreſcendi portionem vacantem permanere. Bolognett. Vaſq. A. Fab. cum quibus faciemus; Alii aliter quos ſtringemus.

37. An ergò renunciari poſſit juri adcretionis? In directis, quas ita vocant, hæreditatibus non, in fideicommiſſis univerſalibus, ſingularibus & legatis, poſſe, ſcribit Sim. de Præt. Nos & in hæreditatibus concedimus, niſi Repræſentatio defuncti uniformis impediatur vel tollatur.

38. An per ſucceſſoriũ Edictum tollatur jus adcreſcendi, Dd. quærunt; Mihi non dubium eſt jus adcreſcendi potius eſſe. Bart. Dec. Bolognett. Lancel. Polyt. Crot. & alii.

39. Qua actione defecta pars petatur? Eâdem, quæ pro priori pare competiit, dicunt. Graſs. Vaſq. Donell. Cretſchmer. Papillonius. Atqui ipsô jure adcreſcere, ſuprà dictum?

Hæc fusè & ſufficienter pro viribus in ipsô tractatu.

Corollaria.

I. *An ſingulis rebus quatuor cauſas oporteat competere?* Neg.

II. *An ſint præter ſtatus Reipubl. ſimplices, Monarchiam, Ariſtocratiam, Democratiam, mixti?* Adf.

III. *An aliqua potuerint contra jus naturæ probari in Rep.?* imò plurima.

IV. *An ex omnibus etiam privatis delictis criminaliter agi poſſit?* Adf.

V. *An Ducatus & hujuemodi feuda aperta inſciis Electoribus rurſus in feuda ab Imp. concedi queant?* Neg.

VI. *Diverſum in Electoratibus ſtatuo.*

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE